

Q. D. B. V.

AVSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI  
PRINCIPIS SERENISSIMI ET ELECT  
SAXON. HEREDIS  
DOMINI

DN. FRIDERICI AVGVSTI

DE

ANIMI CAPA-  
CITATE

QVAE AD

LOGICAE STUDIVM

REQVIRITVR

PRÆSES

M. GEORG. FRIDER. IANICKE

FREIBERGENSIS MISNICVS

RESPONDENS

IOANNES ERNESTVS AB AVERSVALDA

EQVES MISNICVS

SECUNDO DISPVTABVNT

*d. XVI. Decemb. A. O. R. c 17 17 CC XVI*

---

VITEMBERGAE

PRELO SCHROEDERIANO ACAD. TYP

AVGUSTI  
FRIDERICI  
AVGVSTI

AVGUSTI  
FRIDERICI  
AVGVSTI

ANIMI  
CITATE

LOCVS  
SIVIVM

M. GEORGE  
FRIBERGENSIS  
MISNICVS



IOANNES ERNESTVS DE ATERSVALLA

ALVARO DE SIVIVM

PRIMO SCHROEDERIANO

2014 8 015861

**M**Univimus nobis viam in priori Dissertatione, ad investigandum inpraesentiarum, qualis adesse debeat animi capacitas, ad comparandum sibi exquisitum habitum Logicum. Quod dum expendimus hinc inde, subiit nos mirari, tam multos inveniri, quibus Logica despiciatui est, ea inter alias ratione inductos, rem esse levem, & iuxta habendam, adeo, ut, quando ad altiora, quod aiunt, progredimur, non ulterius de hac re cogitandum sit. Reputant Logicam umbra- tilem & trivialem disciplinam, quae in scholis & tyronum subselliis, locum suum solum occupare debeat, persuadent sibi, se in naturali facultate, qua pollent ad ratiocinan- dum, posse acquiescere, imo, non decere magna ingenia, circa levidenses regulas versari, cum jam omnia illis a- perta, & pervia sint. Hanc artem vero penitus confide- ranti, patet continuo, ingens momentum & ingentem subtilitatem genuinae Logicae inesse, id quod affatim te- statur haec ars, prout a modernis scriptoribus bene ex- culta est, siquidem isti hac ratione subscribere effato Ba- conis de Verulamio, qui alicubi dicit, *mundum semper se- niorem fieri, iunioresque, priorum adiutos inventis, ulte- rius & posse, & debere procedere.* Recentiores autem scriptores, quo aliis salivam moverent, ad diligentius im- bibendam Logicam artem, eandem gnaviter repurgan- tes, & usui accommodatiorem reddentes, aliis quoque titulis insigniverunt, *Artem cogitandi*, ut Arnaldus & Ti- tius, *Medicinam mentis*, ut Tschirnhausenius & Lan- gius, *Viam veritatis*, ut Gundlingius, *veram methodum inveniendi verum*, ut Poiretus, *sensum veri & falsi*, ut Rüdigerus, *la Recherche de la verité*, ut Malebranche, *Trai- té de l'entendement humain*, ut Lockius, *Systeme de re-*

*flexions*, ut de Croufaz, venditantes. Imo, nausea ob le-  
vitatem artis concepta, facile abstergi potest, si quis me-  
cum solummodo rationes inire velit, qualis animi capa-  
citas requiratur, ad veram Logicam recte addiscendam.  
Etenim facile apparebit, arduum hoc esse negotium, &  
quo excellentius est studium, eo maiorem quoque po-  
stulari capacitatem. Id autem, quod meditando affecu-  
ti sumus, sequentes docebunt paragraphi. §. I, quid ani-  
mus sibi velit, §. II, quid capacitas sibi velit, ubi insimul  
nominatenus indicatur, quod ista hic consistat *ex parte*  
*intellectus*, in illius BONITATE, MATURITATE, &  
CULTURA, *ex parte voluntatis*, in illius PROBITATE,  
§. III, enucleatur bonitas, §. IV. monstratur puerilem in-  
tellectus bonitatem non sufficere, §. V. Maturitas expli-  
catur, & quomodo se exerat, §. VI. haec maturitas cum  
diversis bonitatis gradibus, §. VII. probatur, quod ma-  
tura intellectus bonitas, ad nostram capacitatem requira-  
tur, §. VIII. describitur cultura, & dicitur, quod con-  
sistat primo in assuetudine ad meditandum, §. IX. se-  
cundo in notitia quarundam veritatum inprimis prae-  
ceptorum Logicorum, §. X. deinde quoque in notitia  
praejudiciorum, quae definiuntur, cum remotione signi-  
ficationis non competentis, §. XI. recepta divisio prae-  
judiciorum, incongrua habetur, §. XII. nostram dividen-  
di rationem exponimus, §. XIII. praejudicia, quae ex phi-  
lavtia inordinata, §. XIV. praejudicia, quae ex inordinato  
in alium amore profluunt, tractantur, §. XV. voluntatis  
probitas exigitur.

§. I. Exquisituri, qualis animi capacitas requiratur,  
ad habitum Logicum obtinendum, animi voce nihil a-  
liud innuimus, quam duas istas animae humanae facul-  
tates, intellectum & voluntatem, quae non essentialiter,  
fed

sed tamen formaliter ita diversae sunt, ut intellectus ideas, exhibeat, voluntas appetat & aversetur, ut intellectus operatio prior sit, ista voluntatis, & ut intellectus necessitate quadam agat, & posito objecto, non possit non intelligere, voluntas verolibertatem quandam habeat, ita, ut se ad actus singulares in appetendo & averfando, determinare queat. Hicce animus cum duabus suis facultatibus, intellectu & voluntate, requiritur, quando aliquis sibi bonas artes comparaturus est. Voluntas efficit, ut studium impendamus, intellectus, ut illud non frustra collocemus, sed scientiis instruamur.

§. II. Animi vero hujus est diversa vis atque ratio, ad scientias tractandas, ita, ut non omnis animus ad quaelibet studia, nec omni tempore aptus sit. Quando vero intellectus atque voluntas ita viribus suis conspirant, ut animus hanc vel illam artem assequi possit, tunc adest quaedam capacitas. Capacitas autem proprie de vase dicitur, in quantum nempe inter latera sua aliquid continere, atque capere potest. Hic autem capacitas metaphorice sumitur, & in nostro argumento denotat animi idoneitatem ad habitum Logicum recipiendum. Haec autem capacitas consistit in nativa intellectus BONITATE, MATURITATE, & eiusdem quoque CULTURA, ex parte voluntatis vero in ejusdem PROBITATE, de quibus singulis figillatim.

§. III. Nativa intellectus bonitas est concreata illa intellectus dispositio, qua quis facultates intellectus, ad modum reliquorum plurimorum hominum usurpare potest. Deus enim plurimos homines non stupidos atque stolidos condidit, sed sana ratione praeditos, & communes ferme intellectus facultates distribuit, quibus, ubi homo uti, & memoria ingenio atque iudicio suo id operari potest, quod homines communiter praestant, se naturalem intellectus capacitatem, sive bonitatem possidere, persuasus esto. Non licet autem hominibus quolibet tempore eadem & perfecta gaudere bonitate, ita, ut natura eundem usum facultatum intellectus in tenera aetate permittat, ac fieri solet, in proVectiori illa. Nam in infantibus una se se prodit facultas, videlicet

licet memoria, qua infantes maximopere vigent. Siquidem sibi imprimunt ideas, five imagines rerum obviarum, & impressas retinent, nec tamen adeo componunt ideas, & ingenii facultatem exercent, multo minus animos in se ipsos reflectere, atque intendere possunt, quo distincte sentiant, quid cogitent, itaque iudicii facultatem exerere haud valent. Pueri autem praeter memoriam, ingenii quoque vires exercent, siquidem memoria custoditas ideas libere componunt, & exinde iocos & lusus ingenii proferunt, qui aliis risum excutiunt. Cohaerentiam autem unius ideae cum altera, vel illarum discrepantiam pervidere, non possunt, quia adhuc usu iudicii destituuntur. Hunc vero affert robustior aetas, siquidem cum tempore efflorescit, & matura fit intellectus bonitas, quippe quae maximopere in usu iudicii residet, ita, ut homo nunc ratiocinari possit, five deprehendere unius, vel plurium idearum cum altera, connexionem. Respicimus vero hic ad bonitatem potissimum, quam maturitas intellectus largitur.

§. IV. BONITAS autem intellectus, quae pueris inest, nondum sufficit huic studio, siquidem illius indoles consistit in memoriae & ingenii vi, quae per operationes suas nostrum habitum minus attingit, sed longe post se relinquit. Nam haec ars non potest nude intelligi sine iudicii ope, nedum comprehendi, examinari, & in habitum deduci. Exinde patet, pueros non idoneos Logicae esse auditores, nec Logicam puerilem scientiam, quae in tyronum subfelliis imbibitur tota. Sit ita, memoria teneant pueri Logicos terminos, syllogismos cudant, & cum Figuris & Modis, tanquam cum pupulis & crepundiis, ludant, parum tamen eruditi evadent. Imo vulgaris inveterataque hinc inde in scholis Logicae tractatio plus detrimenti, quam commodi afferre viderur, & ex mente *B. Titii, Lips. in Art. Cogit. c. 1, p. m. 18, ista communi docendi ratione, non consulitur tenerae aetati, nec ad cogitandum apta redditur, ut potius nativa ingenii vis, doctrina parum solida ac intempestive adbibita, obtundatur.* Videantur etiam, quae habet *Baconus de Verulam, in Novo Organo L. 1, aphor. 90.* Et licet puerilis aetas praecocia & portentosa quoque ferat ingenia, in quibus iudicii vis ocyus, ac alias fieri solet, emicat, loquimur tamen solum  
de eo,

de eo, quod communis experientia docet, & magis hic puerilem intellectus capacitatem, quam puerilem aetatem remotam volumus. Ita vero seiungimus puerilem indolem, ut non impugnemus, illam praecedere debere maturam nostram capacitatem, nec negamus, inesse istam huic insimul, hoc solum statuentes, quod puerilis capacitas, ad habitum Logicum sibi comparandum, efficaciter nihil conferat.

§. V. Requiritur autem ad habitum Logicum obtinendum, matura intellectus capacitas, quae in omnium facultatum, maximo-pere vero in iudicii, usu consistit, ita, ut cognoscamus cum primis, istas per se evidentissimas unius ideae cum altera connexiones, in veritatibus insitis, sive principiis nobiscum natis; ut cognoscamus quoque cohaerentiam unius ideae cum altera, quae per ideam tertiam probanda est. Potissimum huc pertinet cognitio earum veritatum, quae obviae, & cognitu faciles a Deo hominibus sunt redditae. Dei enim benignitas iis veritatibus, quae versantur circa bona & mala hominum, & dicuntur morales, atque politicae, miram evidentiam concessit, eum in finem, ut intellectus humanus hasce veritates saluberrimas eo facilius, citius, atque certius, cognoscat, voluntas eo vehementius moveatur, ad appetenda bona, quorum homines participes, ad fugienda mala, quorum homines expertes, ex propitia Dei voluntate esse debent. Merito igitur haec communis & naturalis intellectus nostri vis, eam ob rationem quoque naturalis bonitas dicenda est, quia inservit veris bonis in hac vita obtinendis. Coniunctam sibi habet docilitatem, quae hoc infert, ut intellectus ab aliis propositas doctrinas atque veritates, admittat, quae ab ipso haecenus nondum cognitae, atque elicitalae fuere, atque ut experiatur, se quoque cum aliis habere intellectum communem, & hac ratione se etiam in studiis suis cum pluribus posse incedere eadem via, & pari gressu, imo eo pervenire, quo catervatim itur.

§. VI. Matura autem haec intellectus bonitas, diversos habet gradus, ita, ut natura huic maiori cum largitione ingenii dotes, alteri parcius concesserit. Quapropter *Ianus Huartus*, qui in *Scrutinio ingen.* de hac re exponit c. 1. p. 46. meminit. Aristotelem duas species ingeniorum fecisse, unam, quando dicit: *bonum ingenii.*

1104

geni.

genium est illud, quod bene dicenti obedit, hoc est, bonum ingenium est docile, alteram, quando dicit, *optimum ingenium esse illud, quod omnia per se intelligit.* Adhaec divinus ille Plato tertiam speciem addit, quando quibusdam ingeniis *θεῖον* à connasci, credit, istamque speciem vocat *ingenium excellens cum mania*; per hanc poëtae dicta ac sententias proferunt, tam altas tamque sublimes, ut nisi ex divina revelatione eas hauserint, *impossibile sit*, prout idem inquit Plato, *ad eas pertingere hos tales poëtas potuisse.* Baconus autem de Verulam. nov. org. L.I. Aph. or. 55. dicit: *alia ingenia sunt fortiora & aptiora ad notandas rerum differentias alia ad notandas rerum similitudines.* Hisce principibus Philosophis calculum quoque nostrum apponimus, ea ratione, ut intellectus etiam naturalis diversitatem, inter homines admittamus, & licet omnibus hominibus tres facultates intellectus concessae sint, tamen in hoc vel illo diversam etiam harum facultatum constitutionem, vim, atque excellentiam agnoscimus.

§. VII. Quod autem naturalis eaque matura mentis bonitas adesse debeat, ad habitum Logicum sibi comparandum, perspectu facillimum est. Requiritur ad veritates morales, atque politicas cognoscendas, intellectus à natura bene constitutus, & iudicii acie instructus, eo magis ad veritates, in quibus regulae Logicae resident. Nam doctrina moralis, atque politica, continet obiecta sensibus externis magis obvia, & ideo comprehensu sat facilia. Logica autem continet regulas sive obiecta, quae inensione interna fundantur, & ideo paulo abstrusiora, cognituque difficiliora sunt. Ex quo constat, eo magis ad Logicam addiscendam, desiderari naturaliter bonam intellectus indolem. Cumque habitus Logicus, non sine creberrimis mentis humanae exercitationibus, & saepius repetita regulatum Logicarum applicatione ad diversa obiecta, comparari, nec sine examine & diiudicatione praeceptorum huius artis, an opem suam ad veritatem deprehendendam ferant, confici possit, sane facultas rariocinandi naturaliter in homine debet esse recte constituta, alias vellemus in aëre piscari. Et porro cum habitus Logicus eam inducat intellectui excellentiam, ut semper promptus sit ad veram ratiocinationem, atque ad veritates cognoscendas, necessum est, ut adsit nativa  
boni-



bonitas, quae talem in modum perfici potest. Nec opus est hic plures consciscere rationes, cum insequentes paragraphi, qui, praeter naturalem bonitatem, adhuc plus requirunt, huic sententiae ultiores probationes subnectant.

§. VIII. Pergimus in negotio nostro, nunc id demonstraturi, quod quaedam etiam intellectus cultura exigatur, quae nobis locupletiore spem faciat, de habitu Logico obtinendo. *Scriptor ad Herenn. L. III. c. 22. inquit: nihil est, quod aut natura extremum invenerit, aut doctrina primum, sed rerum principia ab ingenio profecta sunt, & exitus disciplina comparantur.* Cum ex hoc effato pateat, quod non sine naturalibus bonis ingenii dotibus ad scientiarum apparatus pertingere possimus, non minus quoque exinde elucescit, quod naturalis bonitas non sufficiat, sed adhuc cultura ingenii accedere debeat. Haec consistit in assuetudine & prompto animo ad meditandum, & ad deprehendendum veritates, deinde in quarundam veritatum notitia, siquidem, si omnis cognitio & scientia abesset, ista promptitudo ad meditandum, & ad inveniendas veritates, comparari nequit. Ponitur cultura in assuetudine & prompto animo ad meditandum, & deprehendendum veritates. Ubi nempe per intellectus actus & operationes crebro repetitas, per considerationes rerum indefessas, & aliquod tempus durantes, intellectus velut proclivior redditur, ad inhaerendum uni obiecto. Ubi meditates sui ipsius non obliviscuntur, & ideam illius, de quo modo cogitarunt, nunc amissam ex mente, de novo iterum quaerunt, & ut obiectum meditandi intellectui sistunt. Ubi aliquis longioribus veritatum deductionibus faciendis, atque comprehendendis assuetus, & per usum Logicae naturalis, animum bene praeparatum gerit ad Logicam artificialem. Rationes vero ut expromamus, cur modo explicata cultura ad habitum Logicum obtinendum, exigatur, sane illae eo recidunt, ut dicamus, quia Logica praecepta & notiones, tam difficilis & arduae sunt cognitionis, ut tempus aliquod infumi, & iudicii acies intendi oporteat, ut intellectus indagazione & consecutione veri in aliis veritatibus, iam quodammodo securus & sibi fidens, hic etiam assequi possit, an propositae Logicae regulae quadrent, & instrumenti veritatis titulum tueantur, ideo

B

haec

haec modo descripta ingenii cultura praesto fit. Deinde quia habitus Logicus in hominem non introduci potest, nisi aliquis firmiter & rationibus persuasus sit, se tenere veras, verum in qualibet re inveniendi, regulas, nisi creberrima veritatis investigatione, harum regularum debitum valorem expertus sit, & per saepius repetitam Logicae docentis applicationem habitum sibi acquisiverit, cognoscendi nunquam non verum atque falsum.

§. IX. Cultura vero intellectus consistit quoque altera ex parte in veritatum notitia, siquidem sine hac prior pars, nempe assuetudo & promptus animus ad meditandum, & inveniendum veritates, dari nequit. Cultura autem intellectus admittit maius & minus, & in hoc subiecto angustior est, in illo vero latior patet. Noshic agimus de cultura ad habitum Logicum determinata, eum in modum, ut intellectus excultus sit iis veritatibus, quae *docentem* Logicam absolvunt, & praecepta Logica constituunt, in primis quoque instructus sit ea doctrina, quae exponit de causis origineque errorum, & de impedimentis in veritatis cognitione. Hac ratione ex Logicis libellis in genere veritatis indolem & naturam probe cognitam habeat, operationes mentis in cogitando & cognoscendo occupatas, exacte teneat, regulas ad veritatis investigationem optime calleat, nam alias habitus Logicus diu & longe aberit. Harum rerum autem nudius tertius hausta cognitio, & nuda intellectio, habitum Logicum nondum conficit, licet earundem notitia praerequiratur, quo deinde habitus Logicus possit existere. Nec minus oportet, ut homo quoque sit perpolitus scientia de subterfugiendis, & amolendis impedimentis, in veritatis cognitione admodum molestis. Sunt quaedam causae errandi, ut, humanae mentis imbecillitas, aliquando stupor, prava educatio, confusa rerum perceptio, exempla errantium, inopia rerum, qua ita quam plurimi divexantur, ut illis cum fame luctandum sit, & aliae plures rationes, quae a diversis autoribus diverse explicatae sunt. Vid. quae *Tschirnhaus. in medicina mentis P. II. Sect. III. p. 163. sq.* prolixè disserit, de impedimentis veritatis, & eorundem remediis. Consulantur, quae *du Hammel in Tr. de mente humana L. II. c. 8. de errorum causis & remediis. Christian Thomasius in der Einleitung zur Vernunftlehre*

Lehre

*Lehre/ c. 13. de erroribus & illarum origine, Gottlieb Gerhard. Titius in arte cogit. c. 4. de cogitationum humanarum falsitate, & Croufaz in Syst. de reflex. T. II. P. II. c. 7. de principales causes de nos faux iugemens, afferunt.*

§. X. Non intactam missuri sumus hic doctrinam de praeiudiciis, quippe quae impedimenta veritatis maximam partem enodat, ut inde *Croufaz in Syst. de reflex. T. I. P. II. c. 6. de preiuges dixerit: les faux principes en prenant la place des vrais, sont la principale & presque l'unique cause de tous nos egaremens.* Sensu Iuridico praeiudicium bene audit, & illis, qui in foro causas perorant, instar legis & normae est, in Logicis vero infaustum nomen, & res sane peior & angue vitanda est. Notatio vocis praeiudicii statim conceptum genericum illius suppeditat, qua vi vocis alia iudicia debet praecedere. Plenius autem definitur praeiudicium, quod sit *praeconcepta falsa opinio, per quam intellectus humanus ad alios errores seducitur.* Admodum enim experimur & sentimus intra nos, quod sint quaedam generalia iudicia in nobis ad propensiones nostras efformata, quae influunt in reliqua iudicia, super hac vel illa re facienda, & ideo causae sunt tot errorum, quibus genus humanum obruitur. Licet autem falsae hae & generales opiniones, non conceptissimae semper in mente extent, ita, ut semper animo praesentes sint, quia existunt reclamante sana ratione, tamen clanculum adsunt, & propensionibus hominum suffulciuntur, tum vero vel erumpunt, vel sensum ac sine sensu arripunt, suamque vim produnt, quando super aliqua re ferendum est iudicium. Alii non adeo distincte sub eadem praeiudiciorum voce, quando in Logica versantur, effectus illorum, hoc est, ea iudicia appellant, quae ex praeconceptis illis opinionibus fluunt, ita ut sententiam, ex auctoritatis praeiudicio latam, ipsum praeiudicium vocent. Qua ratione praeiudicii nomen ad omnes errores extendendum esset, & hoc verbum idem valeret, ac error, cum tamen haec differentia ponenda sit inter errorem & praeiudicium, qualis inter causam & effectum, praeiudicium enim in Logica pro causa erroris assumitur.

§. XI. Antiquioribus temporibus *Baconus de Verulamio*, qui *E-*  
lecti.

lecticis & recentioribus philosophis facem praetulit, praeiudicia tectis nominibus, in quatuor idolorum genera, quae mentes humanas obsident, divisit, nempe *in idola tribus, idola fori, idola specus, idola theatri*. Vid. *nov. organ. lib. I. aphor. 39*. Hisce obscuris autem nominibus claram lucem accendit *Crousaz Syst. de rest. x. T. II. P. II. chap 6, des preiuges p. 5. sq.* Recentiores, doctrinam de praeiudiciis enucleantes, ea dividunt, in praeiudicia auctoritatis, & praecipitantis, quorum unum, ex philautia inordinata, alterum, ex amore in alium inordinato, iudicante ita *Christiano Thomasio Einleitung zur Vernunftlehre/ cap. 13.* oriri statuitur. Fundamento dividendi recte substrato, membra divisa eidem non recte superstruuntur, vel saltem nomina minus convenientia illis imponuntur. Nam praecipitantis utrique praeiudicio competit, ut ideo per eam unum ab altero non bene distinguatur. De praeiudicio praecipitantis haecenus sic dictores per quam clara est, auctoritatis autem praeiudicium eodem vitio laborat, siquidem auctoritate alterius induci, ad statuum aliquid involvit se praecipitem agere & non expectare validam & veram rationem, quae hanc vel aliam assertionem fua det. Deinde praecipitantis inordinatae philautiae, non indicat nexum, quo huius generis praeiudicia cum tali principio, nempe inordinato amore proprio, cohaereant. Praecipitantis igitur videtur potius hic ut adiunctum, & affectio quaedam sumi, quae adiacet praeconceptis opinionibus & iudiciis ex hac praeiudicata sententia factis. Non autem praecipitantis solum censenda est ea, ubi iudicium de aliqua re fit subitaneum, atque tumultuarium sine temporis mora, sed praecipitantis potest quoque esse cum temporis aliquo tractu coniuncta, & ideo nomen suum obtinens, quia nondum expectavit veram rationem, aliquid statuendi, ab intellectu adhuc exquirendam. Quocirca apparet, hanc divisionem non directe respicere ad naturam rei dividendae, quia non dispescit legitime praeconceptas opiniones, ex amore proprio, & alieno natas.

§. XII. Dividendi vero rationem, quam ingenium nostrum suppeditavit, apposituri, fundamentum istud grato animo assumimus, quod ab aliis ad dividenda praeiudicia excogitatum, iam

recen-

recensuimus nempe philautiam inordinatam, & inordinatum amorem in alium. Posset quidem rem penitus pensitanti videri, haec fundamenta, ad duas classes praeiudiciorum statuendas, sibi etiam non bene esse opposita, siquidem inordinatus in alterum amor involuit quoque Philautiam inordinatam, fatente Titio in arte cogitandi cap. 4. §. 21. quia dum alius auctoritati accedimus, semper commoda nostra nos eo adducunt. Attamen, licet non hac, tamen alia via sibi invicem opponuntur philautia inordinata & amor in alium inordinatus, nempe ubi illa in amantem ipsum se terminat, ut in objectum amatum, in cuius favorem aliquid appetitur, hic vero se terminat in alium extra amantem, tanquam objectum in cuius gratiam aliquid desideratur, & licet hic posterior, priorem sub se contineat, tamen quoque tali ratione utrinque adsunt ideae diversae, quae sibi invicem possunt opponi, nempe quia duo haec amoris genera diversa respiciunt objecta. Philautia inordinata est desiderium sive motus voluntatis, ubi non movemur ductu rationis, in bona nobis praestituta, nempe ad virtutem, sapientiam & sanitatem, sed ubi ad naturales propensiones nostras, easque perpetuo activas, & earundem expletionem, movemur. Amor inordinatus in alium, est motus voluntatis ad fruitionem illius, non eo modo, quem Deus ordinavit, sed illo potius, qui propensionibus nostris convenit. Uterque inordinatus amor, motus voluntatis est, qui influit operationes intellectus, ita, ut intellectum ad cogitandum de hac vel illa re determinet, eundemque instiget, quo in gratiam motus sive desiderii sui & propensionum illi coniunctarum, iudicium fiat. Quapropter Croufaz in Logica sua recens edita, nempe in *System. de reflex. T. I. P. II. chap. 7.* iure ac loco suo exponit *de la volonte & chapit. 8. des inclinations & des passions*, quatenus haec negotium veritatis ingrediuntur

§. XIII. Philautia inordinata gignit sua praeiudicia, dum quaedam habet propensiones, quae influunt rerum cognitionem, & efficiunt praeconceptas opiniones, ex quibus alia iudicia erronea fluunt. Magna nobis inest propensio, labores mentis fugiendi, & servandi quietem, ne intendatur nimis iudicii acies, & uni objecto inhaereat. Vnde ista praeconcepta existit opinio, in

obgnoscendis rebus nos ita versari debere, ne quietem turbe-  
mus, & labores animo molestos infumamus, ex qua praeiudica-  
ta opinione, larga exfurgit errorum seges. Data enim opera, cum-  
que vi quasi & coactione nos meditationi accingere, oportet, &  
modo rem bene coepimus, iam nos illi iterum furripere medita-  
mur, pauco elapso tempore languemus, in prima ratione a nobis  
inventae, qualis qualis sit, acquiescimus, imo scrutari ulterius  
omnino desistimus, nisi forsitan affectibus exstimulemur, ut diu-  
tius meditationi bene coeptae, incumbamus. Vfitato nomine,  
hoc praeiudicium, a praecipitantia appellatur, & communissi-  
mum est, imo, cum aliis praeiudiciis valde connexum. Magna  
deinde in nobis propensio, magni faciendi vires nostras in re-  
rum cognitione, qua cum propensione sese res ita habet, ut tum  
innata sit, & natura sponte sese moveat, tum etiam confirmetur  
& acquiratur magis magisque, ubi semel atque iterum verita-  
tem invenisse, ex aliorum applausu, vel propria certitudine de-  
prehendimus. Hinc praeconcepta nascitur opinio, nos facili  
adhuc negotio posse invenire veritates, quae opinio multorum  
errorum genitrix, & studium veritatis mirum quantum, suffla-  
minat. Nomen vero fortitar hoc, ut non abs re vocetur praeiu-  
dicium confidentiae, de quo *Augustinus Epist. 52.* monet, *quod prae-  
stantissima & acutissima ingenia tanto in maiores errores, ut plurimum,  
iverint, quando praesidentius tanquam suis viribus cucurrerunt.* Nec  
minus in hominibus proclivitas est, labores mentis ita exequen-  
di, ut affectibus bene consulatur, & omnis studiorum tractatio  
ad eosdem composita sit. Inde praeconcepta haec opinio: sci-  
entiarum acquisitio ita fieri debet, ut affectibus velificemur, quip-  
pe ex quo fonte multi profluunt errores. Ambitiosus videt  
gloriam in amplo scientiarum apparatu consistere, inde aspirat  
ad multiugam & diffusissimam eruditionem, avarus cognoscit,  
ad seculi mores artes esse addiscendas, quo quaestum possit face-  
re cum scientiis suis, voluptuosus autumat, studendum esse in-  
genii venustati, quod Galli *bell' esprit* vocant, unde fieri solet, ut  
affectibus magis, quam veritati studeant. Praeterquam autem  
quod studia bonarum artium, saepius ad affectus generatim com-  
ponuntur, adhuc etiam speciatim singulas quasdam veritates in-

cognoscitur  
Dresden

cognitas atque intactas relinquimus, in quantum affectibus ob-  
sunt & officiunt, ita, ut e contrario nostra nos trahat voluptas  
in ea, quae affectibus abblandiuntur. Hinc ista praeconcepta o-  
pinio quaecunque notitia affectuum desideria in hac vel illa re  
ligillatim, non impedit, sed implet, istud, ut verum arripien-  
dum est. Haec opinio prono alveo fundit multos errores, &  
efficit, ut veritates practicas, vel levi tantum brachio tangamus,  
vel plane missas faciamus. Et sane doctrina moralis, & hodie  
inexculta iaceret, nisi ista quoque ad quaestum faciendum, cum  
reliquis artibus pertineret. Nec profecto tot errores in morum  
doctrina, tam portentosa Iura Naturae hominibus obtruderen-  
tur, nec intus, in mente cuiuslibet hominis, tam falsa de rebus  
agendis, vitandisque, iudicia conciperentur, nisi homines, affe-  
ctuum impetu, plerumque tam vehementer agitantur.

§. XIV. Amor inordinatus in alium habet quoque suas praeconceptas opi-  
niones. Vbi nudo amore impellimur ad fidem habendam alterius effato, non  
rationibus qualibuscunque, a persona sua desumptis, quae monstrarent, quod  
fide dignus sit is, qui nobis huius vel illius sententiae autor est. Talis hic prae-  
concepitur opinio: quicquid alter statuit, quem amamus, id verum est. Coe-  
co enim amoris imperu eo vehimur, ut putemus omnia, quae amasii nostri  
sunt, amanda esse. Ideo quoque placitum eius amamus, tuemur, & tanquam  
fortem, ab oraculo editam, suscipimus. Imo amor, quo alium amplexamur,  
adeo nos fascinat aliquando, ut alterius sententiae malimus subscribere,  
quam rerum evidenciae, atque nobis ipsis, credere. Hoc praecudicii genus  
tali ex fonte profluens, pueris parentes suos adamantibus, & uxoribus mari-  
tos depereuntibus, haud raro inest. Datur quoque praeconcepta opinio,  
non ex nudo amore oriens, ubi alicui fidem habemus, non solum, quia istum  
amamus, sed quia aliae rationes fidem facientes, eidem insunt. Vnde haec  
opinio: quicquid is statuit, quem amamus, & qui auctoritatem praese fert, ut  
illi fides habeatur, istud verum est. In rebus gestis cognoscendis valet qui-  
dem alterius auctoritas, quia alia certitudine res cognosci non potest, in veri-  
tatibus autem, quae non alterius testimonio indigent, sed per propriam ratio-  
cinationem deprehendi possunt, omnis auctoritas ut exulet, oportet. Haec  
vero resultat ex diversis circumstantiis, in quibus persona illa mira est, quam  
amamus, videlicet, ut sit patria, parentibus, praecceptoribus clara, ut nominis  
celebritate, muniis amplissimis, bibliotheca instructissima, gaudeat, ut inde-  
fessum studium, pietatem, virtutem ostendet, ut proferat artes, ad ingenium  
auditorum, & prurium illorum accommodatas, ut de doctrinarum vel an-  
tiquitate, vel novitate, gloriatur, & id genus alia. Harum rerum intuitu ho-  
mines saepe eo dementiae prolabantur, ut in his circumstantiis, tanquam in  
solidissimis veritatis rationibus, acquiescant, & semper malint credere, quam  
scire.

scire. Quod contagium quantam vim exercuerit, & quam late serpsit, videri potest ex iis, qui de Philosophia Sectaria & Electiva exposuere, ut *Sturmius* & *Arnoldus Veseafeldus*. Quam altas vero radices agat praeiudicium auctoritatis, *Averroes* nobis exemplo est, qui *lib. II. de anima c. 6.* legitur scribere: *Aristotelis doctrina est summa veritas, quoniam eius intellectus fuit finis humani intellectus, quare bene dicitur, quod fuit creatus & datus nobis divina providentia, ut sciremus, quicquid sciri potest.* Quidni cum *Horatio* hic exclamemus *lib. II. Epist. 19.*

O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe

Bilem, saepe iocum, vestri movere tumultus.

Bene igitur *Seneca* monet, ne pecorum ritu antecedentium sequamur gregem, pergentes, non qua eundum est, sed qua itur.

§. XV. Tandem capacitatem animi ad Logicum studium requisitum, consummat voluntatis probitas. *Budd. Element. philosoph. T. I. p. 1. c. 2. §. 31.* dicit: *Causae praeiudiciorum omnium, non alibi, quam in ipsa voluntate quaerendae sunt.* Vnde exigenda est maximopere probitas voluntatis, quae in eo consistit, ut pravis cupiditatibus temperemus, & quae recta, appetamus. Philautia inordinata continet cupiditates improbas, quae recta via veritatis studio obsunt, ut impatientia laborum, confidentia in vires suas, studium affectuum, qui in voluptatem, ambitionem & avaritiam abire solent, ut hanc divisionem *Christianus Thomafius* exhibuit, praecunte forsitan *Gracian* in *l'homme de cour Maxime XXVI.* Amor vero in alium inordinatus non minus officit veritatibus deregendis, prout ex modo dictis nobis constat. Quamdiu igitur hae cupiditates effraenatam suam vim exercent, tamdiu quoque de vero habitu Logico obtinendo, desperata res est, siquidem verus habitus Logicus, qui consistit in promptitudine ad veritates deprehendendas, non nisi per crebros cognitionis actus, etiam in iis veritatibus, quibus voluntatis pravitas maxime obstat, acquiritur. Nec potest hauriri doctrina Logica, nisi remota sit laboris impatientia, siquidem huius doctrinae ratio, ingenium magis exercet, atque intendit, quam alius scientiae tractatio. Nec nostris viribus hic plus iusto fidendum est, ne ex opinione naturalis nostrae sagacitatis, artem Logicam despiciamus, nec affectibus studere debemus, quo talem scientiam forsitan negligamus, quae illis maxime derogat, tantum abest, ut habitu Logico exornemur, quin simplicem doctrinae Logicae apprehensionem teneamus, nisi emendatio voluntatis praecesserit. Male exinde usu venit, ut, quando studiorum rationem inimus, saepe respiciamus solum ad intellectus capacitatem, voluntatem vero parum curemus. Omnis autem nostra ignorantia tollenda est, voluntate volente & appetente, & ad illius motum tum segniorem tardiorumque, tum vehementiorem & magis incitatum, intellectus operatio vario modo procedit, omnia studia, si ad ἀκμὴν provehi debeant, patientiam & constantiam requirunt, quietum animum, & affectibus rerum veritati non renitentem, postulant, quae omnia voluntas afferat, oportet. Quocirca in artibus tractandis, tam virium intellectus, quam probitatis in voluntate

aequabilis semper cura adhibeatur.

FINIS.